Michael Denis: Codices Manuscripti Bibliothecae Palatinae Vindobonensis Latini Aliarumque Occidentis Linguarum. Vol. I. Pars I.
Wien, 1793 Seite 1045
Quelle:
Copyright:

libus ferarum tectos, arcuque valentes, dum numero augerentur; Et sic tandem vicinarum gentium sedes invasisse, a fame teutonice *Hunger*, quam Majores eorum perpessi erant, *Hungros* adpellatos &c. Miretur, qui nescit omnium Populorum origines fabulis involutas esse.

XXI. *fol.* 113. p. 2. Responsio ad Quaestionem: *cur modo in orbe christiano non edificentur. aut dedicentur ecclesiæ in memoria uel nomine patriarcharum uel prophetarum. ceterorumque sanctorum. qui domini et saluatoris nostri aduentum precesserunt.* Initium: *Placuit beatitudini uestræ pater sanctissime. requirere a nostra exiguitate. cur* &c. Praecipuam rationem ab eo, quod illorum Dies natales aut Passionis ignorentur, et non reperiantur Reliquiae, *sine quibus templa edificari aut consecrari moris non est*, repetit *Rabanus*, cujus Opuscula, quae *Rab. Mauri Responsa* inscribi possent, hic finiri putem; Expositionem enim Significatus allegorici *Baculi Pastoralis*, quae manu Sec. XII. ultimae illius Responsioni media interjecta est, ad illum pertinere non arbitror. Inquirant Antiquitatis ecclesiasticae Studiosi, an aliae Bibliothecae Codices subpeditent, quibus quam evidentissimum reddatur, in hoc Volumine contenta novae *Opp.* Praesulis nostri Editioni adjungi debere.

XXII. *fol.* 115. Farrago quaedam *Glossarum* seu Interpretationum ex Hebr. Graec. et Latino magnam partem frivolarum. Initium: *Pliades dicuntur stellę in fronte tauri positę eo quod plures sint.* Ita: *Melamessis collectio mellis. Nilus neon ilon nouum limum trahens. Apocriphus liber dicitur secrete legendus. Plandectes* (πανδεκτης) *dicitur biblioteca illa picta ubi uidetur quomodo beatus Paulus corrigiata* (loris) *cesus fuit.* Ubi gentium haec Bibliotheca? *Smigma quod et dentifricium dicitur ex ebore. et picmentis. ex quo infectum est Corium unde fricant mulieres dentes suos. ut bonum habeant odorem. Problema obscura parabola. Yamm eliastolosane ciuitatis episcopus* (forte legendum *Yammelius* sive *Amelius*; hic enim *Tolosae* sub finem Sec. XI. sedit) *fecit uersus ubi dixit*

Queritur a multis quidnam sit problema parua.

Extalis est maius extum intestinum uidelicet per quod stercora diriguntur quod nos sentinarium dicimus idem sunt et marisce &c.

XXIII. *fol.* 116. p. 2. absque alio Titulo: *Interrogatio Augustini.* Est hic *Augustinus Romanus* a *Gregorio M.* ad *Anglorum* conversionem ablegatus an. 598. qui primus *Cantuariae* Archiepiscopus obiit an. 604. *Interrogationes* ejus XI. *Gregorio* propositas *Beda* L. I. *Hist. Anglor.* c. 27. instar Libelli inseruit, unde postmodum in formam Epistolae redactas habes T. II. *Opp. Gregorii* edit.